

tūq; Prætor factus & Pannoniis Dux ac Rector impositus, mox Consul creatus est. Et quia Imperio esset deputatus, iterum Consul designatus est. Causa adoptionis eius, populo congiariū datum, collatumque militibus h. s. ter millies. Circenses ludi editi sunt, nihilque prætermisum, quod posset lætitiā publicā frequentare. Tantæ fuit autoritatis apud Adrianū, vt præter adoptionis affectum, omnia, quæ desideraret, per literas faciliè impetraret. Hic valetudinis adeò miseræ fuit, vt Adrianum statim adoptionis pœnituerit. Marius Maximus asserit Adrianum Matheseos peritum, de Vero sæpe pronuntiasse:

Ostendent terris hunc tantū Fata, neque vltra

Esse sinent.

Illud quoque cum irrisione dixisse fertur,

EGO MIHI DIVVM ADOPTAVI, NON FILIVM.

Cū igitur de Prouincia Aelius rediisset, atque orationem pulcherrimam, qua patri Adriano gratias agere parasset, sumpta potione, qua se existimabat iuuari ipsis Calend. Ianuariis periit. Sepultus est in mole Adriani, vbi adhuc legitur, L. AELIO CAES. DIVI ADRIANI AVG. F. COS. II. F. Vita fuit latissimæ, bonisque literis præditus, forma egregius, decorusque, regię pulchritudinis, oris venerandi, exquisitæ eloquentiæ, versu facilis, in Repub. etiam non inutilis. Vxorem habuit nomine Caluillam, ex qua L. Verum suscepit, qui à M. Antonino adoptatus fuit.

Numisma fecit, in cuius altera parte fuit pons, & moles Adriani, de quibus suprâ satis dictum est.



ANTONINVS PIVS ex Tito Aurelio Fulvio, viro consulari, & Fatidilla XIII. Calend. Octobris, sub Domitia-

k 2 no